

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1318

Auteur(s) : Bayeux (official)

Bénéficiaire(s) : Nicolas de Sulien [particulier]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1287, 7 mars

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

L'official du doyen de Bayeux constate la vente faite par Guillaume de Grana à Nicolas de Sulien de 30 sous tournois de rente ; la femme de Guillaume renonce, avec serment, à tous ses droits.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° DXLV, t. 2, p. 296-297.

Dissertation critique

Le 7 mars 1286 est proposé par V. Bourrienne. Cf. Pâques tombe le 6 avril en 1287 14 avril en 1286.

Texte établi d'après a

Universis præsentis litteras inspecturis, officialis curiæ decani Baiocensis, salutem in Domino. Noveritis quod, in nostra præsentia et in jure coram nobis personaliter constitutis Guillelmo de Grana et Marguareta, ejus uxore, dicto Guillelmo eidem Marguaretæ, uxori suæ, auctoritatem et consensum præstante faciendi, et concedendi, et etiam adimplendi ea quæ in præsentibus litteris inferius præscribuntur, qua auctoritate prædicta, præstita ab eodem Guillelmo, dicta Marguareta, cum auctoritate eadem, ratam, gratam et firmam habuit coram nobis venditionem, et dimissionem, et concessionem quam dictus Guillelmus, maritus suus, fecit Nicholao de Suslien de triginta solidis Turonensibus annui redditus, quos dictus Guillelmus vendidit et concessit dicto Nicholao et Petronillæ, ejus uxori, pro viginti et quatuor libris Turonensibus : quos triginta solidos Turonenses dicti Nicholao et Petronilla, ejus uxor, percipient annuatim, videlicet quindecim solidos Turonenses ad Nativitatem beati Johannis Baptistæ, et quindecim solidos Turonenses ad Nativitatem Domini, in hæreditagio dicti Guillelmi, sito in parrochia Sancti Flocelli Baiocensis, inter masuagium Guillelmi de Magnavilla, ratione uxoris suæ, ex parte una, et domum dicti Guillelmi de Grana, ex altera. Et juravit dicta Marguareta, spontanea voluntate, cum auctoritate prædicta, quod contra dictam venditionem, dimissionem et concessionem, ratione dotis, dotalicii, maritagii impediti, donationis propter nuptias, tactis sacrosanctis evangeliis, nec per se vel per alium, vel alio quoquo modo, non veniet in futurum, nec impediet, nec faciet aliquo modo impediti : volens et concedens dicta Marguareta, cum auctoritate prædicta, spontanea vel coacta, quod, si contra dictam venditionem, dimissionem et concessionem aliquo modo, per se vel per alium, venire præsumperit, seu eam impediterit, vel impediti fecerit vel procuraverit, quod nos ipsam Marguaretam, quam ex nunc de observando præmissa, una monitione pro omnibus, monuimus, excommunicemus ad justiciam dictorum Nicholai et ejus uxoris, et culpæ exigentibus, nulla monitione præmissa, et excommunicatam faciamus publice nunciari, et eidem coram omnibus et contra omnes, in foro quolibet, omnem audienciam denegemus et

denegari faciamus. Et nos dictam Marguaretam, cum auctoritate prædicta, ad omnia præmissa et singula eisdem Nicholao et ejus uxori tenenda et adimplenda, et ad fidem suam observandam, præsentem coram nobis per ejus confessionem et obligationem condempnamus. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum præsentibus litteris est appensum. Valet. Datum anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo sexto, die veneris post Reminiscere.